



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Ecclesia, Qvæ Est in Pvrgatorio

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIII. An in Purgatorio torqueantur animæ à Dæmonibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53890](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53890)

## CAPVT XII.

*Sciri non posse, quomodo ignis corporeus animas urat.*

**E** S E C V N D O , verissima sententia est, non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animā incorpoream; id enim ingenuè confitetur Durandus in 4. dist. 44. quæst. vlt. & ante Durandum B. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 10. vbi dicit, animas torqueri ab igne miris, sed veris modis; & B. Gregorius, cùm lib. 4. Dialogorum, cap. 29. dicit, ex igne visibili inuisibilem pœnam animas trahere; vocat enim inuisibilem pœnam, quia occulta & incognita est nobis. Sed licet non sciamus quomodo id fiat, posse tamē fieri, docet Augustinus ex alio simili; videmus enim animam incorpoream vniri corpori humano, & ei vitam dare, & cum illo simul gaudere & pati, cùm tamen modus huius vnionis sit planè ineffabilis. Quis capiat, quomodo spiritus sit forma corporis, cùm inter corpus & spiritum nulla sit proportio? Sicut ergo potuī vniri spiritus carni, ut illi vitam communicaret, ita potest vniri spiritus igni, ut ab illo pœnam trahat, licet modus vtriusque vnionis sit prorsus incognitus.

## CAPVT XIII.

*An in Purgatorio torqueantur animæ à Demonibus.*

**D**E T E R T I O dubio res est omnino incerta; nam quod non torqueantur à Dæmonibus, nec ab Angelis, sed à solo igne, docent Scholastici, ut S. Thomas in 4. dist. 20. artic. 5. & rationem reddunt, quia omnes animæ Purgatorij in ultimo conflictu Diabolum superarunt, ideo non decet iustitiam diuinam, ut finat eas ab hoste devicto vexari. Deinde, hinc in terris etiam perfectos viros Dæmones vexant, quia sperant se posse eos ad peccatum pertrahere; at animas Purgatorij sciunt in gratia confirmatas non posse cadere, & vexationem illis necessariò profutaram

ram ad celeriorem purgationem; non igitur credibile est, Dæmonum opera animas illas cruciari.

Ex altera parte, quod à Dæmonibus torqueantur animæ Purgatorij, docent multæ reuelationes, vt illa beati Fursæi apud Bedam lib. 3. hist. cap. 19. & apud Dionysium Carthusianum libro de quatuor nouissimis, & lib. 1. vitæ B. Bernardi, cap. 10. Maneat igitur & hoc inter secreta, quæ suo tempore nobis aperientur,

## CAPVT XIV.

*De grauitate pœnarum.*

**S**ECUNDUM QVARTO, pœnas Purgatorij esse atrocissimas, & cum illis nullas pœnas huius vitæ comparandas docent constanter Patres. AVGVSTINVS in Psal. 37. *Quamvis, inquit, salvi per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* GREGORIVS in Psal 3. pœnitentiale: *Illum, inquit, transitorium ignem omni tribulatione presenti existimo intollerabilem.* BEADA in eundem Psalmum dicit, nulla esse supplicia martyrum, vel latronum cum illis purgatoriis pœnis conferenda. Idem habet B. Anselmus in I. Corinht. 3. & B. Bernardus sermon. de obitu Humberti.

Idem probant omnes reuelationes, quæ apud Bedam lib. 3. & 5. historiæ, apud S. Brigittam, apud Dyonisium Carthusianum, & in vita Christianæ mirabilis habentur.

Idem probat ratio, saltem de pœna sensus. nam tam ad dolorem, quam ad gaudium tria concurrunt; potentia, obiectum, & coniunctio unius cum altero. Iam quantum ad potentiam, sine comparatione capacior est doloris potentia rationalis, quam animalis; nam quantum ad apprehensionem intellectus, est veluti fons, sensus veluti riuiulus; quantum ad appetitum, voluntas est veluti fons, appetitus inferior est veluti riuiulus. cum ergo anima ipsa nuda immediate torqueatur, maximus debet esse ille dolor ex parte patientis; nunc enim non tam anima, quam corpus torquetur, & per corpus aliquis etiam dolor ad animam transit.

Quantum ad obiectum, siibi est verus ignis, erit omnino acerrimus; cum ad hoc solùm sit institutus, ut sit instrumen-

tum